



diversitas, nulla in motu ex directione
varietas, si vero eodem tempore secun-
dum diversas directiones moveatur, igi-
tur eodem tempore existit in diversis lo-
cis, estque naturaliter replicata. Quid au-
tem si simul fursum & ad latus, aut simul
deorsum & ad latus moveatur? id quod
fieri posse evincit motus obliquus. Quid
vero inde commodi pro diversissimis per-
ceptionibus quarum eodem tempore mi-
hi conscius sum? motus obliquus sive ex
una sive ex gemina causa ortum habeat,
in se simplex est, una est illius directio;
quare perceptiones diversae earumque
conscientia in illo nullatenus potest ex-
primi; ex diversa celeritate descendat
perceptionum varietas: an eadem indivi-
dua pars eodem tempore celerius tardius-
ve moveri poterit? profecto qui ita cen-
feret, illum non argumentis convincen-
dum, sed medicamentis corrigendum exi-
stimem. Quidquid ago & quocumque me
verto, manifesto mihi apparet, in par-
te una ac individua tot haberi simul per-
ceptiones non posse. Et tamen pars una
esse deberet uti perceptionum, ita mo-
tionum diversarum subjectum.

4. Sint enim partes plures, quae
diversas singulae perceptiones diversis
in motionibus habeant repositas: an fieri
poterit ut perceptiones omnes eodem
tempore me habere cognoscam? ego sum
qui simul audio, simul video, simul olfa-
cio,

Nec plu-
res.